
CHRISTIANISSIMO REGI FRANCISCO INSUBRIUM AC LIGURUM DUCI VICTORI INCLYTO...

Alessandro Ruinagia




Christianissimo Regi Francisco insubrium ac ligurum Duci Victori inclyto. quem animi et corporis pulchritudo orbis delicium faciunt et præ cœteris Regibus beant. D.





¶Ad libellum in Christianissimi Regis Francisci laudem.

Quã magnus regni spaciis qui gallica sceptra:
Qui ligurum populos: æmiliamq; regit.
Tam magnus ualidis fulsit Franciscus in armis
Agmina pugnacis frangere Teutonici.
Et q̃ terribilis sumpta dum fulminat hasta:
Tam mitis: placido cum stetit in solio.
Iam quacunq; tulit uultus: frontemq; serenam:
Ex illo cœlum dulcius ore micat.
O nos tam claro: tam forti Rege beatos.
O decus. O nostri temporis altus honos.
Quã dedit Ille meis faciles modo uocibus aures.
Gloria quanta tibi parue Libelle uenit.





Alexandri Ruinagiæ Iuriſconſulti ad Chriſtianiſſimum Regem pro Ciuitate Placentina oratio.



Aximum immortalitatis & gloriæ in Regni tui primordiis & hoc primo iuuentutis limine fundamentum iecisti O Rex: Qui nationem contemptu mortis & pugnandi amore ferociſſimã: tranſgreſſis: ut Hercules quõdam & Hannibal: inacceſſis rupibus: & pulſo ab anguſtiis uiarum hoſte: incredibili uirtute ſuperaſti: & ualidiſſimam urbem Mediolanum cum munitiſſima ac prope inexpugnabili arce: cũ cœteris Galliæ Ciſalpine ciuitatibus quas Regii milites urgente temporum neceſſitate reliquerant: iterum in deditionem accepiſti. Maximum benignitatis: clœmẽtiæ: lenitatis: cunctis populis ſignum erexiſti: ꝙ uindictæ cupiditatem heroica magnanimitate procul abiiciens: neminem extra conflictum cadere uoluiſti. ut omnes intelligant in quã pura & ſerena ſapiẽtiæ tuæ luce uerſeris. & ętas quidem tua ac uictoriæ cõſuetudo aliud ſuadere poterãt: ſed diuina mens & Regale ingenium ipſa etiam uictoria excelſius: quid ſupremam poteſtatem deceret: intellexit. Nec tam quid alii meruiſſent: quã quid clariſſimo & liberaliſſimo Regi conueniret: animaduertere uoluit. Ergo Placentini. Ci. qui Francorum uirtutem ſemper admirati: Francorum partes quo ad licuit: ſemper ſunt ſecuti: & eorum in Italiam aduentum frequentibus uotis præuenere: tanto lætius & exultantius fœliciſſimos huius bel

i successus exceperunt: q: Te duce: tuis auspiciis gestũ
est. q ad te sapientissimum & optimum summam Rerum
delatam uident. Quis enim fortitudini tuæ: quis prudētiæ
non confidat? Quis moderationem & illam q̃ te deo pro
ximum facit; ueniæ facilitatem non colat? Quis in iocon
dissimo uultus tui iubare non quiescat? Communis tibi
cum reliquis Francorum Regibus commendatio est: q
iustitiam amas: & legem nutus tui ac renutus mensuram
facis. q religiosum uitæ institutũ amplecteris. Propria illa
& tota tua est: q omnibus quibus iratus esse poteras: pla
cabilẽ te: & exorabilem prestitisti. Quin dexteram ultro
porrexisti: dexteram illam qua formidinem hostibus incu
tis; subiectos metu leuas: & ne offensionem animi tui uere
antur: facis. In quo non minor tibi debetur laus: quá in con
ficiendo difficili & ambiguo prælio debeatur. quá in mu
nificentissimis tuis erogationibus: quibus Alexandri ma
cedonis & priscorum Regum inclytum nomẽ exuperas.
Quippe his rebus factum est: ut te publico humani gene
ris bono natum: & ad hanc tantam potentiam euectum
censeamus. Quod licet taceamus ipsi; clamant illæ artes:
quibus inutritus ad eternæ famæ cultum excitaris. Clamat
cœlestis ista pulchritudo: & syderei oris dignitas: ac plenus
augustæ Maiestatis aspectus. Quibus habitantem in te sa
lutaris alicuius & propicii numinis splendorẽ dignoscere
licet. Iam uero quis non uideat ad gloriam & amplitudi
nem ad magnas Res obeundas diuinitus tibi adiunctam
fortunam? Quod iis solis contingere cõsueuit qui ad gran

de aliquod & fatale opus delegati sunt. Vt Carolo quon
dam tuo: cui te persimilem fore auspicamur. Gratulantur
tibi intra Placentinam urbem noti proceres modo: & qui
rerum momenta sentiunt: cordati uiri: Sed omnis sexus at
q; ætas inextimabili uoluptate perfunduntur. Quin saltus
ipsi & agrorum spacia gestire: & dies festos agere uidetur.
Et cum multa hillarem Ciuitatem efficiant: tum illud ma
xime q statim profligatis hostibus: terribiles nuncios non
misisti: & ut subitam deditionem facerent non iussisti. Sed
permisisti ut grati essent & uicem aliquam rependerent.
Ro. Ecclesiæ. cui plurimum debebant. Seruasti nos Cle
mentissime Rex. Et nõ utilitati solum: uerum etiam famæ
consuluisti. nihil temere nos: aut per trepidationem agere
uoluisti. Bene quidem & tẽperate. & ut Illum opo rtebat
qui in cordibus omnium residere: omnium uota & suppli
cationes cupiat promereri: Quem omnes tacitis & secre
tis cogitationibus saluum semper & fœlicem uelint. Quẽ
dignum imortalitate diiudicent. Tenemur perpetuo obli
gationis nodo huic tantæ bonitati & sapientiæ. Nullum fi
deli dulcius beneficium conferri potest: quã ne quid cõtra
fidem agere compellatur. Grande hoc prœmium pro peri
culis laboribusq; nostris et ante hoc trienniũ: et quũ Lu
Sfor: douico Frorscia ex germanis redeunte totus status defece
rat: soli Placentini in fide permanserunt. Pro iis quas ab
Hispanis semel atq; iterum perpessi sumus: cõcussionibus:
chalumniis: direptionibus. Pro acerrimis Haluetiorum
minis. Quibus missis ad consilium nostrum oratoribus

terrorem inferre conabantur. Pro acerbissimis nonnullorum odiis indignantium quod Francorum dignitati afficiebamur. quod pulsos pro Francorum nomine et profugos fidelissima hospitalitate tutabamur. quod nostris cõmeatibus et facto in nostra regione militum supplemẽto: Regii socii Crimam oppidum retinuerunt. quod Regiis nunciis ad Ro. Pont. ad Venetos in Liguriam per deuias rupes et suspecta indigenis loca securum iter faciebamus. O nos beatos qui te Principem his presertim temporibus sortiti sumus. Nam quo alio Sanctissimum hoc et tam Orienti quã Occidẽti notissimum Diadema obtinente salus et fides nostra salua esse potuissent? Agnoscit Placentina Ciuitas quãtus sit erga Illam meritorum tuorum cumulus: Et libenter a sedibus suis conuulsa in hunc locum ad agendas gratias properasset: Sed quoniam id rerum natura nõ sinit: ellegit hos uiros quos honestissimos habuit: Qui maiestatem tuam uice Vniuersitatis salutarent: et res suas publicas cõmendarent. Dignare igitur clementissime Rex de sublimi regalis Throni suggestu ad eam urbem respicere: Et tanquã fioliolam osculari tuam. Nam se ut obsequii prõptitudine ancillam: Sic amoris et pietatis merito filiam nuncupare non ueretur.

